



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118480**

§. 74. Pax Cæsarem inter & Galliarum Regem Genuæ stabilita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

nisi ad initium Mensis Augusti revocanda videtur.

Sæc. XVI.  
A C 1529.

§. LXXIV.

*Pax Cæsarem inter & Galliarum Regem Genuæ stabilita.*

Dies erat nona Augusti, cum Imperator matutino tempore primo Hispanæ, demum Italicæ classis navem prætoriam conscenderet. Huic præerat Andreas Auria, qui ad primum Cæsaris ingressum in Principem Melfitanum evehctus est. Navigabat Imperator ventis admodum secundis, menseque Augusto ad medium vergente feliciter Genuam pervenit, festivis plausibus ac populi acclamationibus exceptus; ex tota enim Italia frequens erat hominum concursus, qui omnes Principem tot tantisque virtutibus conspicuum cerne-  
re certabant. Cum vero Imperator, priusquam Madrito excederet, provide jussa daret, ut singulis diebus accurate de pacis cum Gallis conciliandæ negotio edoceretur, hinc per nuntios Cameraco Genuam missos percepit, quod die quinta Mensis Augusti fœdus esset firmatum, opera duarum Principum, quæ erant Margaritha Belgii Gubernatrix ac Caroli V. amita & Ludovica de Sabaudia Francisci I. Mater. Ha-  
rum

Sæc. XVI.  
A.C. 1529.

rum enim sollicitudine Cameraci conventus agebatur pompa atque magnificentia eo clarior, quo felicius intra septem hebdomadarum angustias totum concordiae negotium absolutum est, inito foedere, quod vulgo *Illustrium saminarum pax* nominabatur, eoquod eandem praefatae Principes tam felici successu procurassent, ut hujus concordiae firmitati nec clades, qua San-Paulianus afficiebatur, nec foedus inter Papam & Hispaniae Regem initum quovis pacto obesse potuerit. Porro hoc foedus triginta duos omnino complectebatur articulos, quorum tamen nonnisi praecipuos impraesentiarum referemus.

## §. LXXV.

*Articuli foederis Cameracensis inter  
Carolus V. & Franciscum I.  
initi.*

*Mem. du  
Bellai lib. 3.  
Guicc. l. 19.  
Sle dan. l. 6.  
Paul. Jov.  
l. 26.  
Raynald. ad  
hunc ann n.  
67. & seq.*

Igitur Galliarum Rex, ut pacis negotium promoveret, ambosque filios suos Delphinum, & Aureliae Ducem Caesaris manibus eriperet, spondit, quod Imperator viginti centena ducalium nummum millia solvere velit, eo pacto, ut prima die sequentis Mensis Martii illico duodecim centena millia numerarentur, simulque ambo Regis filii in pristinam libertatem restituerentur.

Reli-